



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De pressuris quae factae sunt nostris temporibus, cap. 47.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

superius cap. 35. de piscatore, quem aqua exussit. Ha- *In aquis*
 bes etiam exemplum aliud in distin. 3. de homine pec- *commu-*
 catore, ob cuius vitia mare intumuit, & post confes- *nibus.*
 sionem tranquillum factum est. Simile tibi nunc re-
 citabo, de quo satis miraberis.

CAPVT XLVI.

IN prima expeditione Ierosolymitana, Richardus
 Rex Anglorum, cum multitudine peregrinorum,
 copiisque maximis transfretauit. Die quadam,
 circa crepusculum orta est in mari tempestas validis-
 sima, ita vt naues procellis concussæ, & vi ventorum
 impulsæ, mortem omnibus intentarēt. Rex verò sicut
 & ceteri mortem ante oculos habens, tota illa nocte
 clamauit: O quando erit tempus, in quo grisei mona-
 chi surgere solent ad laudandum Deum? tanta enim
 bona illis feci, & non dubitem, quin mox vt cœperint
 pro me orare, Dominus nos respicere debeat. Mira
 fides Regis, Dominus verò qui dicit: Si habueritis fi- *Mat. 17.*
 dem sicut granum synapis, diceris huic monti, transi
 hinc illuc, & transibit, euidenti miraculo fidem iam
 dicti Regis remunerauit. Nam circa octauam horam
 noctis tempore matutinali, monachorum surgetium
 Dominus orationibus excitatus, & ipse per potētiam
 consurgens, imperauit ventis & mari, & facta est tran-
 quillitas magna, ita vt omnes de tam subitamaris im-
 muratione mirarentur. Reuersus verò idem Rex, gra-
 tia eiusdem miraculi, amplius ordinem honorauit,
 quasdam domus eleemosynis ditando, de nouo alias
 extruendo. Hæc de miraculis aquarum dicta sufficiat,
 quia ad miracula terræ festino.

CAPVT XLVII.

Videtur nostris temporibus impletum, quod
 Dominus in Euangelio dicit: Surget gens cō-
 tra gentem, & regnum aduersus regnum, &
 terramotus magni erunt per loca, & pestilentia & fa-
 mes, terroresque de cœlo, & signa magna. Licet de his
 aliqua dixerim exempla, superaddam nūc plura. No-
 stris temporibus gens Saracenorum, duce Saladino
 Rege Syriæ, surrexit contra gentem Christianorum, à

*In terra
 edita pro
 digia.*

Luca 21.

R r 3

quo

quo capta est Ierusalēm, cum terra sancta. Contra quam gentem perfidam, tres vidimus expeditiones maximas fidelium; prima fuit sub Frederico Imperatore; secunda sub Henrico filio eius; tertia sub Frederico, qui hodie imperat. Nostris inquam temporibus gens Latinorum surrexit contra Gręcos, illorum perfidia prouocata, cępitque Constantinopolim, & magnam partem Gracię. Circa eadem tempora manifestari ceperunt hęreses Albiensium: vnde zelo fidei cõturbatę sunt gentes catholicorum, & inclinata sunt regna, vtpote Francię & Hispanię, ad illius destructionem, sed nondum est finis. Vt enim taceam de regnis gentium infidelium, quanta fuerint bella inter regna fidelia, vti regna Francorum aduersum regnum Anglorum, inter regnum Alemanię contra Gallorũ regnum, nouimus omnes. Quędam etiam gens anno praterito intrauit regna Reutenorum, & totam ibidem gentem vnā deleuit: de qua nobis non cõstat, quę sit, vnde veniat, vel quò tendat. De pestilentijs & fame legimus satis, non in libris, sed in pressuris nostris: post mortem prædicti Henrici Imperatoris tanta fames erat, vt maldrum filiginis in Alemania, marca Colonienfium, & in quibusdam prouincijs decem & octo solidis venderetur, & ex magnitudine famis, populus innumerabilis extingueretur. De terramotibus per loca noua, & magna tibi referam miracula.

Psal. 45.

CAPVT XLVIII.

IN anno præfenti, qui est millesimus ducentessimus vicefimus secundus ab incarnatione Domini, sicut narrant quidam de eisdem partibus venientes, duę ciuitates in Cypro a terramotu corruerunt. In vna verò illarum, dum Episcopus in altari staret, Missamque celebraret, ecclesia tremefacta cecidit, & tam ipsum quam reliquum populum extinxit.

CAPVT